



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 132. Madrutii Cardinalis Tridentini Episcopi mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. Pontificiis, in quibus Paulus IV. Ro-
A.C. 1578. mæ anno Salvatoris nostri millesimo
 quingentesimo quinquagesimo nono Pon-
 tificex Romanus renuntiatus est: anno
 autem post Christum natum millesimo
 quingentesimo sexagesimo octavo Ludo-
 vicus ad Metensem Episcopatum nomi-
 natus erat, ubi sacro oleo in Rhemenſi
 Ecclesia tum sede vacante Henricum III.
 Regem inunxit die quinta Februarii
 anno Incarnationis Dominicæ millesimo
 quingentesimo septuagesimo quinto. De-
 nique Parisiis ob varia negotia subsistens
 ad Superos sextas Kalendas Aprilis abiit
 anno suæ ætatis quinquagesimo sexto,
 Christi autem millesimo quingentesimo
 septuagesimo octavo. Corpus ejus ad Ec-
 clesiam Abbatix S. Victoris delatum in
 Choro Ecclesiæ a latere sinistro majoris
 Altaris sepultum est.

§. CXXXII.

*Madrutii Cardinalis Tridentini Epi-
scopi mors.*

Ciac. p. 686. Alter erat Christophorus Madrutius,
Jan. Pyrr- cujus in Concilii Tridentini histo-
hus de Episc. ria frequens occurrebat mentio, ac vul-
Trid. go Tridentinus nominabatur Cardina-
Sacchini in lis, eo quod hujus urbis Episcopus esset.
hist. Soc. Hic Joannis Gaudentii Liberi Baronis
Pallav. hist. de Madrutio, ac hæreditarii Tyrolensis
Conc. Trid. Comitatus Pincernæ, necnon Veroni-

Sæcul. XVI.
A. C. 1578.

cæ de Fugger Filius Mense Julio anno salutis nostræ millesimo quingentesimo duodecimo Tridenti primam lucem aspexit, & Bononiæ adolescens literis incumbens habuit studiorum socios Hugonem Boncompagnum, Alexandrum Farnesium, Othonem Truchesium, & Stanislaum Hosium, qui omnes postea ad Cardinalatum evecti sunt: inde vero reverius in patriam primo Canonicus, mox Decanus, & dein annos natus octodecim ipsius civitatis Tridentinæ Episcopus, & Princeps eligitur, quam urbem, & Ecclesiam summa cum laude per multos annos unacum Brixienti, quæ paulo post eidem commissa est, administravit, ubi pietatis, doctrinæ, & magnificentiæ non pauca reliquit monumenta, quæ cum Paulo III. Romano Pontifici innotescerent, die ultima Maji anni millesimi quingentesimi quadragesimi secundi in Presbyterum Cardinalem seligebatur, sed nonnisi quinta nonas Julii anni millesimi quingentesimi quadragesimi quarti Pontificio diplomate, quamvis absens declaratus, & tunc, cum Romam venisset die septima Januarii anni millesimi quingentesimi quadragesimi quinti in publico Purpuratorum Senatu a Pontifice Romana purpura ornatus est, mox vero summi Pontificis jussu Tridentum profectus primæ

Hh 2

Con-

Sæcul. XVI. Concilii Tridentini sessioni in propria
A.C. 1578. Ecclesia cum aliis Patribus celebratae
interfuit: anno autem millesimo quin-
gentesimo quadragesimo sexto Romam
a Carolo Cæsare missus, eundem Pau-
lum Pontificem Religionis, & amicitiae
nomine ad ferendam opem pro bello
Protestantibus, qui Germaniam pesti-
morum dogmatum falsa doctrina infi-
ciebant, inferendo sollicitabat, atque
ad Synodum regnante Julio III.
reversus sub Pio IV. ad titulum S. Chry-
sogoni, & ex eo ad Sanctæ Mariæ
Transtyberim translatus, Episcopatum
Albanensem primo, & postea Sabinen-
sem, mox vero Prænestinum, præter
Picenam Legationem prudentissime mo-
deratus est: demum Portuensis Episco-
pus, sacrique Collegii Decanus nomi-
nabatur. Cum vero Roma ob graves in-
firmitates suas aeris mutandi gratia Ti-
bur proficisceretur, ibidem ætatis agens
annum sexagesimum sextum feria se-
cunda, nonis Julii anno a partu Virgi-
nis millesimo quingentesimo septuage-
simo octavo moritur, cuius corpus, quod
integrum inventum est triennio post,
forma ad Majestatem composita, Ro-
mam defertur, & in Ecclesia S. Onuphrii
in Madruciae familiæ sacello sine ulla
inscriptione sepelitur.

Cete-

Ceterum hic Cardinalis præclaris admodum animi dotibus inclarescebat, præcipue vero summa in pauperes liberalitate, moderatione, ac sani consilii promptitudine eminebat, nil magis, quam altercationem exosus, sique in tanto Viro quicquam crimini dari potest, forte ob nimium erga Carolum V. Cæsarem affectum, quo eidem cæco veluti impetu omni data occasione inservire studebat, reprehendi valeret.

§. CXXXIII.

Julius de Ruere Cardinalis mortuus.

Denique tertius erat Julius de Ruere Francisci Mariæ Ruerei celeberrimi suo ævo Belliducis Filius, die quinta Aprilis anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto natus, ac postremus filius Matris suæ Honoratæ Hyppolitæ Gonzagæ, quæ Francisci Mantuæ Ducis Filia erat. Is a Guidobaldo Fratrem primogenito, vita jam functo Patre, adolescens pie educatus, & literis imbutus est, atque in ejusdem Guidobaldi gratiam a Paulo III. anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, cum esset annorum duodecim, atque absens, Diaconus Cardinalis nominabatur, reservatus tamen in pectore, & non nisi die nona Januarii anno millesimo quingentesimo quadragesimo

Sæcul. XVI.
A.C. 1578.

Ciacon. p.
730.
Aubery l. c.